

III.

NEOVIDENSIS

Nro. 35. (*Neovidensis* 1806. Nro. 28.)

*Secretum litterarum commercium vivos inter
ac mortuos.*

Epistola scripta Regi Idomeneo ad cam-
pos Elysios

Elysium-Meum.- Die Mart. 22. Aprilis. 1806 (Neov. 4. April. 1806.)

Initia urbium conditarum, si ad inculta refe-
rantur tempora, parum moramur, sepeliuntur
oblivione. Quod si magnas inducant mutati-
ones, merentur attentionem. Idomenee! do-
micilium a te in Calabria fixum, in memoriam
nobis revocat historiam ejus provinciæ; tu ibi
feliciter regnavisti. Sed quanta hæc præcipua,
Regni Neapolitani regio subiit fata! In nonnul-
lis locis abundat rerum omnium copia. Ex ejus
nomine Princeps coronæ utriusque Siciliæ gerit
titulum Ducis Calabriæ. A. 1783 mense fe-
bruario totus tractus inde a promontorio *Spar-
tivento* usque Squillaceum terræ motu conquis-
satus est, urbes, & oppida facile 300 corru-
erunt, & 30. millia hominum ruinis oppressa
sunt, & tamen hodie adhuc numerantur 800.
millia incolarum.

Non dubito gratam tibi futuram eorum
lectionem, quæ de hac provincia, modo bello
implicita, narrantur. Sequentia scripta sunt
Neapoli 11. Martii:

Neapolitanæ ephemerides ista continent: Quamvis jam nonnulli plebis concitatores carceribus multati sint, & Cæsareus Princeps omnes ad fovendam tranquillitatem commonefacere non desistat, durat tamen stultus armorum apparatus. Qua de causa Cæsareus Princeps Mareschallo Massena dedit in mandatis, ut ubique, ubi necessaria fuerint, erigantur judicia militaria, quæ arma capientes, in furto, homicidio, & seditione comprehensos intra spatium 24 horarum severe puniant. Ad conservandam publicam securitatem in diversa loca dimissæ sunt legiones, quæ incolas armis spoliabunt. Cum arx Caieta in seruiat latibulo seditiosorum, proxime juxta regulas artis oppugnabitur. In Calabria initium sumserunt bellicæ operationes, uti ex sequentibus patet: Die 6. hujus advenit primum agmen Generalis Regnier ad fluvium Silo; ubi hostis disjectis pontibus peditatum suum cum duobus tormentis collocaverat. Verum galli trajecto fluvio profligarunt hostem, & usque Lagonero persecuti sunt, multi tunc captivi facti sunt, occupata 2. vexilla, tria tormenta, sarcinæ, alimenta, variarum legionum pecuniæ &c.

Parisius 31. Martii: Hodie Monitor juris publici facit epistolam Præfecti navis *la Diligente* Cocault, quam 26. Martii misit ex portu S. Ludovici (olim in Occitania) ad ministrum maritimum, hujus sententiæ: Intimo cum animi dolore significo infelicem sortem, quæ navibus secundi classis Præfecti Lessei-

gues obvenit, quo etiam navis, cui ego præsum, pertinebat. Die 13. Decembris cum 15. navibus primæ magnitudinis, 6. celocibus, & 4 navigiis ex portu Brestano secundo borea vela solvimus. Die 14 divisimus nos in plures classes, mea navis nacta est Præfectum Pro-Admiralem Lesseignes. Die 16 observavimus 30 circiter onerarias naves, in quas impetum fecimus, sed post inanem octo horarum conatum destitimus ab opere, & iter nostrum prosecuti sumus.

Die 27. sub 44. gradu borealis latitudinis, & 24. gradu occidentalis latitudinis a meridiano parisino gravis nos invasit tempestas, quæ omnes quidem naves, sed potissimum Jovem, & Diomedem labefactavit: 26. divulsæ a nobis sunt duæ naves Alexander, & Fortis ita, ut in divisione Pro Admiralis 3 tantum de linea, 2. celoces, & 1 navigium remanserint. Secunda Januarii vidimus insulas Azores, & 19. insulam S. Dominici, ubi sequenti die vesperti anchoras jecimus. Pro-Admiralis illico jussit milites fere 1800 excendere, quos nobiscum veximus, item bellicum apparatus, aliasque res pro colonia destinatas exportari, qui labor usque ad 21 peractus est. Adventus noster coloniam ingenti replevit gaudio, quam de cætero in bono reperimus statu. Reliquos dies insumpsimus hauriendæ recentis aquæ, & tempestate jactatis navibus reparandis.

Die 29. iterum nobis se adjunxit Alexander; At mihi eadem die delata fuit provincia

excurrendi ad explorandum hostem, 5. autem
 Februarii reversus sum ad insulam S. Domi-
 nici juxta data mihi mandata. Die 6. mane,
 in vicinia hujus portus, versus regionem aqui-
 lonarem detexi plura navigia, quæ paulo
 post hostilia esse comperi, imo hora 6. jam
 poteram 9. naves primæ magnitudinis, &
 complures celoces distingvere. Acceleravi iter,
 ut eo citius pervenirem ad nostram classem,
 quam dato signo de adventu hostis majori cum
 vi cert orem feci. (Hoc loco Monitor in se-
 quentem erumpit animadversionem: Difficile
 est explicare argumenta, quibus potuerit Pro-
 Admiralis permoveri, ut 16 diebus extra por-
 tum moraretur, cui præscriptum erat, ut suam
 ad insecundandum hostem destinatam missionem
 prosequeretur.) Hora media 7. rector classis
 respondit meis signis, utque attigeram fundum
 jaciendis anchoris servientem, intellexi easdem
 solvendas esse. Hora 7. paratæ stabant no-
 stræ 4. primæ magnitudinis, & 2. celoces na-
 ves. Ventus favebat hosti, qui propius ad-
 ventabat. Hora 10 prima hostilis navis ini-
 tium dedit pugnæ cum Alexandro, & post
 quadrantem horæ jam ubique dimicabatur. Me
 ventus versus littora urgebat, in quo situ mi-
 hi ignis hostilis sustinendus erat, ne itaque
 naufragium paterer, expansis omnibus velis
 altum petii; duæ celoces Cometa, & felicitas
 idem fecerunt. Usque horam 11. præ vehe-
 menti fumo nihil poterat discerni; hoc autem dis-
 sipato unam nostrarum navium malis orbatam,
 & igne correptam conspexi ab hoste cinctam,

reliquæ autem strenue decertabant; verum circa horam mediam secundam pomeridanam vi hostis majori cedentes se ad listora retraxerunt.

Ego cum meo navigio, & duæ celoces iterum accessimus ad locum pugnæ sed metuentes, ne abscindamur, vento nos dedimus. Interim utriusque classis statum exploravimus: tres nostræ naves videntur propè portum fuisse demersæ, carebant enim malis, quartam tenebat hostis; duæ Anglicæ erant una cum nostris fractæ, e quibus salvare homines conabantur aliæ celoces. Duæ præterea Anglicæ naves labefactatæ natabant in mari; Gallicæ tormentis hostilibus depressæ habebant sua vexilla, & ope minorum navium in terram exponebant suas copias, Nobis autem, hoste insequente, quærenda erant tutiora. Nocte in 10 Martii vergente me horribilis procella sejunxit a duabus celocibus Cometa, & Felicitate. Die 26. Martii intravi portum S. Ludovici, unde tristem hunc submitto nuntium.

B I O G R A P H I A.

Idomeneus, Rex Cretæ, interfuit oppugnationi Trojæ. In reditu tempestate maris vexatus promisit, si sospes in regnum rediret, se hoc Diis immolaturum, quod exeunti sibi ex navi primum occurrerit. Primus rediici domum obviam factus est ejus filius, qui deinde victima voti cecidit; unde tam terribilis enata est pestis, ut eum Cretenses in exilium pepu-

lerint. Navigavit ille in Calabriam, condidit novum regnum, & in eo urbem Salentinam, regnavit eximia cum mansuetudine, atque felicitate. Ex historia Idomeni formavit Cræbillionius, & Metastasius tragædiam. Fenelonius autem in suo Telemacho pulcherrima inde deduxit documenta.

M i s c e l l a n e a .

Notum est in Turcia Europæa multo plures existere Christianos, quam Turcas; inter septem incolas, unus est turca. Attamen excepta Moldavia, & Valachia, tam civilia, quam militaria munera Turcæ gerunt, Hinc pronum est colligere, cur in Turcia Christiani, licet majori sint numero, a Turcicis tamen Officialibus valde premantur.

Consuetas in Turcia seditiones concitaverant olim Præfecti provinciarum & Governatores. Talis ante aliquot annos erat Præfectus Scutarensis, & modo Vidynensis *Parsman Oglu*. Quam autem in præsens adhuc fovet Georgius Cserny, qui nulla majore dignitate fundus est, nominanda videtur conspiratio Christianorum, id est majoris partis incolarum, quæ quo magis invalescit, eo periculosior esse consuevit.

Parisii 1. Aprilis. Hodie Princeps, Archicancellarius Regni adivit senatum, & sequentia Imperatoris decreta promulgavit: 1) Statutum ad Cæsaream gallicam Domum spectans, in quo Principum utriusque sexus officia erga

Imperatorem exponuntur. 2) Conjunctio provinciarum venetarum cum Regno Italiæ. 3) Collatio Regni Neapolitani, & Siciliæ Cæsareo Principi Josepho, ejusque descenditibus masculis. 4) Cessio Principatuum Cliviensis, & Montani Principi Murat; Item Principatus Vastallani Principi Paulinæ Bonaparte, ejusque conjugi Principi Borghese. 5) Collatio Principatus Neocomensis Mareschallo Berthier. 6) Unio Principatus Luccensis cum tractu Massanensi, Carareasi, & Carsagnensi. 7) Decretum, quo in Provincia Parmæ, & Placentiæ eriguntur tres Ducatus pro bene meritis, seque singulariter distingventibus militibus.

Publicandum.

Cum vacans in Archi-Gymnasio Posoniensi 1. Humanitatis Cathedra, Domino Joanni Modly ejusdem Cathedræ in Gymnasio Tyrnaviensi Professori, per Suam Majestatem Sacratissimam benigne collata sit; ex benigno gratiosa Excelsi Consilii L. R. die 4. Martii a. c. N. 3006. emanata dispositione, Concursus pro vacante per promotionem dicti Domini Joannis Modly Tyrnaviæ 1. Humanitatis Cathedra in facie hujus Academiæ & Archi-Gymnasii celebrandus pro die 23. Junii a. c. præstitutus publicatur.

In eadem hac Officina Belnayana sequentes,
præter complures alios, libri venales
prostant :

Atala, ou les Amours de deux Sauvages dans le
Désert, par F. A. Chateaubriand. 12. rélie 1 fl.
8 xr. sur Papier de Poste. 2 fl. — Velin 4 fl.

Egymással - való barátságos beszélgetés, mel-
lyet eszve-szedett, és a' főbb engedelem-
ből közre bocsátott Sz. Benedek' rendén
lévő Ph. Hollósi Egyed. Második meg-job-
bított ki-adás. 8. 1805. 48 kr.

Jantin & Montigny, conte Moral, par l'auteur
de l'histoire de Sudmer. 1804. 1 fl.

Nitsch, Gedichte. 2 Theile. 12. 1 fl. 15 kr.

Gubernath, Institutiones Linguæ & Litteraturæ
Hungaricæ cum Phrasæologia, & Syntaxi ornata.
1803. 8. Tomi II. 2 fl. in charta scriptoria 3 fl.

Articuli Comitiorum Anni 1805. 20xr. com-
pact. 24 xr.

Diarium Comitiorum 1805. cum Actis &c.
2 fl. 30 xr.

Theophron, vagy a' tapasztalt Tanácsadó a.
tapasztalatlan Ifjúság' hasznára. 1804.
in 8. 1 fl. 45 xr. Posta papirora 3 fl. Fé-
nyes papirosra 6 fl. 40 xr.

Gazdasági oktatás arról, hogy miképpen
kell és lehet a' Német és Spanyol Lóherét
Magyar országban legjobb moddal és leg-
nagyobb haszonnal természeteni, és mind
a' kettőnek a magvát bőséggel szaporítani
Posony ban 1805. 8 vo 10 xr.